



Handwritten text, possibly a signature or date, including "1609" and "Luther".

K. VII. 88.





3

IN CATALO  
gum Hæretico-  
rum nuper Romæ  
editum,

THOMAE NAOGEO-  
gi Satyra.

*Adiectis etiam alijs, eiusdem ar-  
gumenti.*

ANNO 1550.



IN CATALO

LIBRORUM HISTORICORUM

ET POLITICORUM

EDITUM

THOMAE KNOXII

OPUS

ADUSUM

1713

ANNO 1713



IN CATALOGVM  
 HAERETICORVM NVPER  
 Romæ editum, Satyra Tho-  
 mæ Naogeorgi.



*Hæreticus iterum rabidum Romanæ  
 Cerberus aulæ*

*Latrat: & exortam lucem, Chri-  
 sti; per omnes*

*Noticiam terras, populos, ac re-  
 gna uagantem*

*Ferre nequit: sed uult insana percitus ira  
 Oppressam, tenebras contra sordesq; reductas  
 Tartareas: uasto nempe ut porrectus in antro  
 Securè populorum & opes animasq; misellas  
 Deuoret, & rapta locupletet Tartara præda,  
 Hactenus ut longo fecit uiolenter ab æuo.*

*Nec uidet expertus toties, multosq; per annos  
 Viribus annisus totis, ac arte dolisq;  
 Se frustra niti: ut si solem destinet alto  
 Exturbare polo, digestumq; ordine pulchro  
 In chaos antiquum rursus confundere mundum:  
 Quem Pater omnipotens ut uerbo condidit olim,  
 Sic etiam inuictò constanter robore seruat.  
 At sol uisibilis non est, nec sidera tanti,  
 Arida nec tellus, nec totus deniq; mundus:*

6 2 Electi



4 Th. Naogeorgi

Electi quanti in Christo, Christusq; redemptor,  
Filius ille Dei, rerum certissimus hæres:

Col. 1. Per quem complacitū est instaurare omnia Patri,  
Perdita uersuti quondam astu ac fraude draconis,

Ephes. 1. Atq; parare sibi magnum ac laudabile nomen.

Psal. 2. Testaturq; satis diuini carmine Psaltis:

Gnatum se statuisse suum, Regemq; suiq;

Matth. 17. Doctorem uerbi: aq; alto mandauit Olympo  
Audiri Gnatum, ut certum fidumq; magistrum.  
Nec sanè electi possuntq; uoluntq; magistro  
Illo destitui, cuius dulcissima uox est,

Ioan. 6. Ad uitam cuius perducit sermo perennem:

Cætera mortiferum quum spirent cuncta uenenum.

Tu' ne triceps illud prohibebis Cerbere? Tu' ne  
Cœlesti obsistes Patri, mandataq; uortes?

Tu' ne Dei Gnatum solio turbabis ab alto?

Tu' ne Euangelium tolles, ac uera uetabis:

Obtrudesq; tua ( ut quondam ) deliria mundo?

Irrita conare, atq; tuas superantia uires,

Inq; tuam citius meritam cessura ruina.

An non præfato legisti carmine: Reges

Conspirare quidem, multas & inania gentes

Voluere, & internam fremitu testarier iram

Aduersus Dominū, Christumq;: sed interim inanes

Conatus ridere Deum, ac solummodo sannis

Excipere? Is melius uult mundo, Cerbere, quàm tu.

Et faciet, sicut primo quoq; fecit ab æuo:

Te



Te licet inuito, atq; tuis, & principe Auerni.

Namq; hominum quid uita esset sine sole, dieq;  
 Noticia absq; Redemptoris quid mundus haberet  
 Iucundi, ac solidi? Quare seruabit utrunq;  
 Ilia rumpantur quamuis tibi, Cardineisq;  
 Patribus. Haud equidem mirari sat queo, cur nam  
 Desipias adeò, stimulum contraq; repugnes  
 Calcibus, ac studeas torrenti obsistere pleno.  
 Siccine nulla exempla mouent, tristesq; ruinae  
 Pectoris istius conatum, animumq; rebellem?  
 Restitit excelsò nemo unquam impunè Tonanti:  
 Atq; suos Christus prostrauit fortiter hostes  
 Semper, & insanos reges opulentaq; fregit  
 Regna, suos seruaret uti ac defenderet agnos.  
 Presserat Aegyptus Pharaonisq; impia cura  
 Seruitio Abrami longo duroq; nepotes:  
 Quos ubi cœlesti uisum est educere Regi,  
 An non eduxit forti super omnia dextra?  
 Cumq; suis unà Pharaonem mersit in alto?  
 Tu ne pari tandem properas occumbere fato?  
 Appropera: rabiem exerce: concedere noli:  
 Diuinæq; exemplum iræ te præbe supremum.  
 Disperijt miserè & respublica Iudeorum,  
 Et cum præclaro ceciderunt mœnia templo,  
 Innumera abiectæ perierunt millia gentis,  
 Dum Christum odisset Regem, uerbumq; salutis  
 Sperneret, inq; omnes seuiret cæde fideles.



6 Th. Naogeorgi  
Haud tua ( crede ) tibi melius molimina cedent,  
Quis Euangelij iubar autoremq; salutis  
Opprimere instituis. Regnasti Cerbere longium,  
Satq; diu tua durauit uiolenta tyrannis,  
Quam contra summi rapuisti iussa magistri:  
Ac diuina satis uiolasti humanaq; iura.  
Calcasti reges, turbasti regna per orbem  
Omnia, doctrinam sanam reuerendaq; Christi  
Sacra profanasti, peruertisti: aq; fide omnes  
Seduxti populos nugis apinisq; pudendis:  
Multaq; Plutoni donasti millia fraude,  
Omnium & ora tuo replesti stercore multis  
Securè seclis: scelus & nullum tibi omissum est,  
Nullaq; pernicies, tenebræ dum noxq; uigeret,  
Qua pater omnipotens ingratum punijt orbem:  
Dumq; tuo nimium latreres dirus in antro,  
Te caput esse sacri coetus, sponsæq; beatæ,  
Arbitrio inq; tuo diuina humanaq; uerti.

Quæso feras tandem noctem transire, diemq;  
Dispulsis fieri tenebris. Concede benignus  
Cordibus auroram, Christum, illucescere nostris,  
Seruitio eq; tuo captiuum emergere mundum.  
Quæso sinas Christum tandem regnare, suosq;  
Afferere, in quorum sese dedit ipse salutem.  
Aequa peto. Sed qui concederet æqua tyrannus?  
Tu tenebras noctemq; adamas, metuisq; uideri  
In clara luce, ut lupus, errorumq; magister,



Satyra.

Ut sentina mali, manifestus ut Antichristus.  
 In templum Domini qui quum confederis olim,  
 Teq; supra extuleris cunctos hominesq; deosq;  
 Non minui uis, de fastuq; remittere quicquam:  
 Crescere sed potius, supraq; ascendere coelum.  
 Nulla igitur spes, ut quicquam concedere Christo  
 Digneris, mundiue uelis curare salutem.  
 Hæreticos unde enumeras, damnasq; libellos,  
 Quoscuq; illi tandem abs te scripsere notati,  
 Atq; legi prohibes: ac fulmine trudis ad Orcum,  
 Qui Christi amplificat meritum, uerumq; requirunt,  
 Ac nutire audent contra falsissima uocis  
 Somnia Cerberæ, scripturisq; illa potenter  
 Conuellunt sacris. O' illustrissime coetus,  
 O' ueneranda cohors, Christi ueriq; ministri:  
 Me quoq; uos inter numerari, quanta uoluptas?  
 Pro diris in nos tortis, nostrosq; libellos,  
 Nomineq; infami, quo nos traducit ubiq;  
 O' post quanta dabit coelestis præmia rector?  
 Nouit enim, quod sollicitè quæramus honorem  
 Ipsius, adq; fidem ueram portumq; salutis  
 Mortales studio curemus ducere nostro.  
 Quare deuoueat, coeliq; excludat ab aula,  
 (Non illi imperium coeli, terræq; marisq;  
 Collatum scimus, Stygiæ sed regna paludis)  
 Suscipiet nos, ac nobis benedicet IESVS.  
 Cur uerò sumus hæretici tibi Cerbere uisi?

a 4 Here.



Hæretici quondam illi appellabantur, erantq;  
 Qui contra articulos fidei, Christumq; docebant,  
 Scripturasq; sacras aliò torquere solebant,  
 Quam quò perpetuus tenor ac proportio uatum  
 Doctrinæ contendit, Apostoliciq; senatus.  
 Quid nos articulos contra, Christumq; docemus?  
 Scripturis sacris ubi non asserta probamus?  
 Egrediuntur ubi præscriptum nostra tenorem?  
 Talia debueras manifestè ostendere primùm,  
 Nostraq; Scripturis liquidò conuincere sanctis:  
 Et si nollemus rectè parère docenti,  
 Tum demum nos ac nostros damnare libellos,  
 Ac tanquam hæreticos toto in proscribere mundo,  
 Non adeò duri sumus, expertesq; pudoris,  
 Quin nos lata bono ac merito sententia iure  
 Terreret, caderentq; sibi malè conscia corda.  
 At sacris nunquam potuisti ostendere scriptis,  
 Nos ullo prauo monitos errore teneri:  
 Sed decreta tua inculcas, & somnia Patrum,  
 ( Namq; patres crebrò manifestum errasse uetustos,  
 Atq; suis multa indulgisse affectibus, ultra  
 Quam fert libertas fidei, doctrinaq; sana )  
 Quis pius haud ullus niti possitq; uelitq;  
 Sed quia solius Christi spectamus honorem,  
 Adq; illum hortamur populos accedere cunctos,  
 Qui noxis solui cupiunt, uitaq; potiri,  
 Et fugienda procul ueniarum falsa tuarum

Dogmata



Satyra.

Dogmata censemus, meritorum spemq; scelestam  
Reiicimus, simul & monachorum uota statumq;  
Et quicquid Christi meritum subuertit & aufert:  
Non etiam à Diuis ueniam rogitamus, opemq;  
Contenti Patre nostro, intercessoreq; Christo:  
Reddimus atq; suo prisco sacra signa nitori:  
Sanctaq; Apostolica uehimus connubia laude:  
Contra damnatur turpis scortatio nobis,  
Et quæ non tolerant castæ memorarier aures,  
Inq; tuo sine fronte seruntur Cerbere regno:  
Hæretici audimus passim abs te, nostraq; scripta  
Damnantur. Sed quàm iniustè, uel talpa uideret,  
Quanto et Christi odio, scelerũq; ac fraudis amore.

Non sumus hæretici nos: sed tu cæce, tuiq;  
Qui mediatorum Christum contemnitis, inq;  
Illius officium ruitis uiolenter, & omni  
(Quantum est in uobis) parto spoliatis honore  
Cultibus insanis, studijs, idolomanijsq;  
Tu quoq; seducis populos, ac mittis ad Orcum,  
Nō nos, atq; inde est lucrum tibi, quæstus, honorq;  
Quum nos paupertas simul ac infamia uexet,  
Te curante satis rasorum cum agmine diro.  
Nec nos damnamur soli, aut proscribimur abs te,  
Sed diuina magis scripturæ oracula sanctæ,  
Antiqui uates, Christus, Paulusq; Petrusq;  
Quid tua nos ergo damnatio cæca moueret?  
Quæ tua bruta piūm terrerent fulmina? Quis non

a s Felicem



Felicem sese credat, ualdeq; beatum,  
 Hæreseos unà cum his, propterq; ista notatus  
 Crimine? Non mirum, tu Christum ac uera perosus,  
 Quòd nos odisti pariter, nostrosq; libellos:  
 Qui Christum ornamus scriptis, ac uera docemus,  
 Fucatamq; tibi personam detrahimus, nec  
 Moribus hisce caput te coctus esse redempti  
 Afferimus, sanum aut Christi de corpore membrũ,  
 Quantouis etiam titulo te ac nomine iactes,  
 Immensam nec auariciam, fraudesq; dolosq;  
 Nec pompas fastumq; tuum uitamq; probamus.  
 Si dici hæc scribiq; doles, tu falsa uideri  
 Effice: non prohibendo libros, uocesq; docentum:  
 Verum tollendo quicquid Christoq; piæq;  
 Vitæ aduersatur. Manifestos corrige abusus:  
 Desinito obniti uero, falsumq; tueri:  
 Tunc agnoscemus pastorem te esse fidelem:  
 Tunc acceptus eris nobis, & amaberis ultrò,  
 Laudibus & summis meritum tollemus ad astra.  
 Sin uerò non ( ut nec spes ) curaueris ista,  
 Frustra nitêris libros ac scripta uetando,  
 Opprimere insurgens per regna ac oppida uerum.  
 Credo equidem, ingenti tactus ueroq; dolore  
 Irrueres in nos ipsos, igniq; libenter  
 Corpora nostra dares. quoniam uerò ista facultas  
 Nondatur, admittunt tantum nec fata furorem,  
 Irruis in libros, interdiciasq; cremasq;:



## Satyra.

11

Vt lapidem iactum mordet canis improba, quando  
 Non potis est rabido iacentem ledere dente.  
 Sed tu ridiculam planè stultamq; facis rem,  
 Iumentoq; malum ipse tuo membrisq; tibiq;  
 Accersis, prohibendo libros, ac scripta cremando.  
 Nitimur in uetitum semper, cupimusq; negata:  
 Ille ait, exemplis doctus, genioq; magistro.  
 Tunc uales sumpta naturam expellere furca?  
 Quando insectaris tanto, prohibesq; tumultu  
 Nostra, ac fulminibus furis, edictoq; minaci,  
 Plures nostra legent, quam legere haecenus unquam,  
 Erroresq; tui toto noscentur in orbe:  
 Hinc sectatores modo fautoresq; supremi  
 Concipient odium contra te, teq; relinquent,  
 Nulloq; aduersos poteris retinere capistro.  
 Rectius ergo foret nullo interdiceret libro:  
 Nam studia accendit nostra interdictio tantum,  
 Extinguit nunq; ut nec naphtha oleumq; camini.  
 Condemnata uolent prudentes noscere cuncti:  
 Siq; hic non prostant, possunt aliunde parari.  
 Nec primis etiam res huc uenisset ab annis,  
 Ni tu latratu saeuo factisq; cruentis  
 (Qualibus et nunc das operam, addictaq; cateruae)  
 Somnum excussisses pigris captisq; ueterno,  
 Ut prospectarent, & quid tibi Cerbere uelles  
 Tanta ira, tantoq; odio, tantoq; tumultu,  
 Propositis quanquam rerum uitaeq; periculis,

Percu-



Percuperent penitus nouisse. Quid accidit autem?  
 Cœperunt odisse tua, ac te: nostraq; contra  
 Expassis multi hîc illic amplectier ulnis.

Principiò unus erat tantum, solusq; Lutherus,  
 Qui prædæ nugisq; tuis obstabat ineptis,  
 Quis emungebas populos & regna uiritim.  
 Placari poterat uerbis is forsân amicis,  
 Lenibus & factis, ne contradiceret ultra  
 Ad prædam emissis effrontibus usq; molossis:  
 Sed dum latratu turbarent omnia sæuo,  
 Tuq; tuo ex antro torqueres fulmina dira,  
 Spiraresq; minas, librosq; & scripta cremares,  
 Plures ille libros emisit, teq; tuosq;  
 Depinxit lepidè, in mediam & protraxit arenam.  
 Paulatimq; alij consurrexere trecenti,  
 Exciti clamore tuo, crudoq; tumultu,  
 Dogmata qui ritusq; tuos, uitamq; fidemq;  
 Impugnant, regnoq; tuo sunt usq; molesti.  
 An nondum sentis, tua quid molimina lucri  
 Attulerint? Hostes quid uis consurgere plures?  
 Desine: dissimula: melius, mihi crede, silendo  
 Vlcerâ curantur tua. Quin & membra coerce,  
 Ne nos irritent scriptis dictisue probrosis.  
 Quippe liber librû parit, extorquentq; frequenter  
 Inuitis etiam dirum, conuicia uerbum,  
 Prouocat atq; atrox persæpe iniuria bellum.  
 Multa equidè nunquã scripsissem, (forsân & alter)  
 Me nisi



Me nisi membra tui traxissent turbida regni.  
 Illis acceptum ferto, si scripsimus in te,  
 Doctrinamq; tuam, ritus, uitamq; scelestam,  
 Quod tibi nunc doleat, magnamq; hęc excitet irā.

Si nos edictis bullisq; minacibus istis  
 Vrseris, & populo non interdicere nostros  
 Desieris libros, nec presseris ora tuorum,  
 Sed Stygias isto posthac in gurgite ranas  
 Insipidum cantare coax permiseris, ut nos  
 Irritent, Euangeliumq; ac sana flagellent  
 Dogmata: ne speres taciturnos nos fore pisces.  
 Vocibus ac libris pugnabimus acrè uicissim.  
 Sic ne irritatos tu respondere uetabis?

Aut interdices nostros pro more libellos?  
 Quod ius aut istud? Que gens tam barbara morē  
 Hunc seruat, reus ut non auscultetur, ut actor?  
 Latronum hic mos est. hęc est uiolenta tyrannis,  
 Quam tu nunc uetitis exerces Cerbere libris.  
 Quis tibi parebit, nisi latro immanis & excors?

Præterea nostros prohibendo denuò libros,  
 Territus esse uidere, tuæq; haud fidere causæ.  
 Nam si tu caput es sponsæ Christi, atq; Deo istud  
 Ius est collatum uerè tibi, colla piorum  
 Ut regum calces, diuina humanaq; uortas:  
 Si sincera doces, Christi q; halantia flatum:  
 Si tua uita Deo placet, informataq; sacro est  
 Eloquio, atq; Dei tua sunt firma omnia iussu:

Siq;



Siq; potest nunquam mergi tua deniq; puppis,  
 Ut iactare solent atq; affirmare Sophistæ,  
 Fautoresq; tui: quid tanto quæso tumultu  
 Est opus? Aduersos uentos fluctusq; tumentes  
 Quid metuis? Nemo poterit subuertere uerum,  
 Summiq; æternum consistent iussa Tonantis,  
 Nec quisquam recta ac diuino consona uerbo  
 Infringet, longum secure ut stertere possis,  
 Nostrosq; insultus & cunctos spernere libros,  
 Contineant ut qui ueri firmiq; nihil, sed  
 Absurdas nugas, cæci ac deliria cordis.  
 (Nam sic infamas nostra, ac traducis in orbe.)

Nos commenta tua, ac uanissima scripta tuorum,  
 Plenaq; conuicijs, haud interdicimus ulli.  
 Prostant publicitus, sinimus uendiq; legiq;:  
 Quippe haud doctrinae nostræ causæq; timemus,  
 Nec formidamus præclaræ examina lucis.  
 Falsa etenim probat ac retinet mendacia nemo,  
 Abiectus nisi, & æternum tradendus in ignem.  
 Quilibet integræ mentis, nec stultus & amens,  
 A falsis facile nouit discernere uera:  
 Sibilaq; agnoscunt agni uocemq; magistri.  
 O. Sol atq; dies, dona acceptissima sanis,  
 Quam uos non fugiunt scriptis factisq; probati?  
 Quam contra fugiunt fures, omnesq; scelesti?  
 Nos ferimus tua, tu nostra autem Cerbere non fers.  
 Quid causæ? Odisti lucem, non odimus ipsi.

Consci-



Satyra.

15

Conscijs ipse tibi es falsi, fraudisq; doliq;  
 Prædas egisti magnas, uiuisq; docesq;  
 Cœlestis contra uerbum ac exempla magistri,  
 Imperiumq; potes nullo defendere iure.  
 Ergo metu plenus, pereat ne rapta potestas,  
 Nêue tibi haud liceat putres diuendere nugas,  
 Viuereq; ad corrupti exemplum Sardanapali,  
 Concilia haud solum concedis libera nunquam,  
 Libera uerumetiam Christumq; sonantia damnas  
 Scripta, tuisq; adimis, prohibes uendiq; legiq;  
 Scriptoresq; pios odio proscribis acerbo,  
 Hæreseosq; notas. Tibi sic odiosa, tuisq;  
 Lux est. Sic agrè fers, clarum emergere Solem,  
 Ut magis atq; magis suspecta tua omnia pergas  
 Reddere, conceptumq; palàm testere timorem. (de  
 Quid? quòd Typographos etiã, qui nostra subire  
 Scripta euulgarunt, odio insectaris amaro,  
 Ut libros illorum omnes, idiomate quouis  
 Sint scripti, quacunq; in doctrinãue uel arte,  
 Condemnes, ac des manifesti signa timoris?  
 Sed quid proficies? Metuis furiose pruinam,  
 Opprimet at mox ( crede mihi ) densissima nix tua  
 O' rabies, ingensq; furor, rerumq; piarum  
 Pernicies, modò concedant tibi Cerbere fata.  
 Tu' ne audes propter nostros insane libellos,  
 Scriptores damnare omnes, atq; edita ab illis  
 Scripta magistrorum, nihil officientia regno

Pro-



Proscripsisse tuo? Quàm tu regnare tenebras  
 Antiquas malles, quàm quicquam lucis obortum?  
 Quàm tu barbariem crassam per regna, per urbes,  
 Seruatam malles: linguas quàm, artesq; politas,  
 Cura prolatas tandem studioq; bonorum  
 Artificum? Vt serpens incantatoris abhorret  
 Carmina, & appensus nodos hinc nectit & illinc,  
 Vt sese eripiat, sua tuteturq; uenena:  
 Sic tu dire Draco tentas nunc omnia magno  
 Consilio, tuaq; haud usquam molimina cessant.  
 Namq; tuum petitur caput, auferturq; uenenum.  
 Sed frustra te sic torques, & in omnia uertis,  
 Vt Proteus quidam. totus mediusq; teneris:  
 Et diuina tuos, non nostra, potentia stringit  
 Artus, atq; sui flatu te conficit oris.

Quid tibi uis aut? Quonam placare queunt te  
 Pacto? Num uis sola ut Decretalia cudant  
 Quinq;, ac Sextum edant, miras Extraq; uagantes  
 Cum Clementinis, ac germine Decretorum,  
 Atq; sophistarum ueterum farragine tota?  
 Num quoq; uis Emseri, Alphonsiq;, atque Casani,  
 Siluestri, Fabri, Latomi, Roffensis & Eccij,  
 Atque Stanislai nuper noti, atq; Cochlaei,  
 Coniuratorumq; aliorum scripta tuorum  
 Vt sola excudant? Video te uelle. Proinde  
 Typographi confestim alios seponite libros,  
 Tergeminumq; canem stolidis placate libellis:

Ne



Ne uos deuoueat, diris contradat & Orco:  
Néue fame uos excruciet, perdatq; rebelles.  
Quid respondetis? Quæ nam sententia cordi est?  
Complures habet Ausonia tota, inter & ipsos  
Germanos Gallosq; infaustæ Cerberus aula,  
Qui scripta excudant sua, prægnantesq; suorum  
Nugas: nos operam Christo nauabimus omnem,  
Artibus atque bonis, linguis, studijsq; piorum:  
Quantumuis latret tenebroso immanis in antro,  
Fata uiam inuenient: piaq; & studiosa iuuentus  
Non minus excusos à nobis quæret, emetq;  
Libros, freta Deo, studiorumq; auspice Christo.

Istane Typographi uestra est sententia? Maacti  
Hac uirtute animoq; uiri. Sic pergite prorsum,  
Latratu ne uos furioso Cerberus unquam  
Terreat, ut non Christo ac uero præla ministrent  
Vestra, omnisq; bonis studijs industria sudet.  
Emolumenta dabit Rex regum & conditor orbis,  
Cuius res agitur: Monachis rafaq; caterua  
Frustra reclamante, omnem & promente furorem.  
Namq; Euangelium palmæ pro more uirentis  
Ponderibus cedit nullis, contraq; resistit  
Tartareas portas, sursumq; ascendere gaudet,  
Latius & semper fortes extendere ramos.  
Quo magis ergo furit Romanæ Cerberus urbis,  
Et uos nobiscum bullis traducit ineptis:  
Hoc magis inuisum reddit seseq; suosq;:

b

Et



Et cupient passim libros euoluere uestros

Hi quoq; qui uos antehac uix de nomine norant.

Nam quis pareret furioso, iraq; tumentis?

Sperneret & quis non rabiosi anathemata cordis?

Nam quid iudicio factum, aut ratione modoq;

Sano? quid ueterum exemplo? quid deniq; iure?

Nos sæpe obtulimus rationem reddere uelle

Doctrinae nostrae, fideiq; ac dogmata scriptis

Nostra probare sacris, inde aut meliora doceri:

Per multosq; annos afflictis orauimus usq;

Libero in audiri Doctorumq; atq; piorum

Concilio. Sed quid profecimus æqua rogando?

Non sumus auditi. Præsedit Cerberus ipse,

Ac præiudicijs nos condemnauit iniquis:

Et clausit fremitu ac terroribus ora suorum,

Ne quis liberius de relligione fideq;

Censeret, crassosue ullos damnaret abusus.

Optima inauditos ratio proscribere uisa est,

Nondumq; hæreseos conuictos fulmine sterni:

Quo! gēs nulla (scio) faceret, nec Turca probaret.

Communi tantum sensu ac ratione docente.

Nec satis est nostros uisum interdicare libros:

Verum ob eos, uestrāq; operam, studiūq; benignū,

Cuncta semel reicit uestris uenientia prælis,

Ethnica sint quamuis purè, tractentq; profana,

Nomine uti uestro quæ sint suspecta ueneni.

Hæc nonne est rabies mira, atq; insania præceps?

Sic



Sic interdicit ueterum monumenta parentum,  
 Historias, artes, medicinas, iuraq; Regum,  
 Et claros sophiæ libros, uatumq; bonorum,  
 Et quicquid ueteres Græci ac scripsere Latini.  
 Quippe dabit nobis Romanis omnia prælis,  
 Atq; ita in imposito retinebit cuncta capistro,  
 Scilicet. Inquirat sanè hoc more undiq; prædas:  
 Et quod uos alibi ac Germanis tollitis oris,  
 Id iam conatur Vaticanis condere cistis.

Præterea signum lymphati nonne furoris,  
 Quòd mentis tristi uertigine motus ut Ajax,  
 Non solum hæreticos, uerùm & proscribit amicos,  
 Propugnatoresq; suos? nam Roterodamus,  
 Volfius, Hartungus, Cognatusq;, atq; Doletus,  
 Zasius, & Gebilerus, & Henricus Glareanus,  
 Tum Pyrcheymerus quoq;, Renanusq; Beatus,  
 Compluresq; alij, rabidus quos continet Index,  
 Haud scio quando, quibusq; libris uulgata Lutheri  
 Dogmata sint amplexi, oppugnarintq; Papatum.  
 Sed quis tam stolidus, notos ut laudet abusus?  
 Sacrificumq; probet uitam, quæstusq; scelestos?  
 Atq; impostorum Monachorum facta statumq;?  
 Ergo hæc aduersus nulli mussare licebit?  
 Catholicus nequit esse ergo, qui dixerit ullum  
 Liberior uerbum? Hæc nonne est uiolenta tyrannis?  
 Hanc ut promoueat passim, teneatq; potenter  
 Cerberus, insulsos Monachos præfecit ubiq;.

b 2 Inquirant



Inquirant ut in hereticos, suspectaq; damnent.

Qui sicut nequam sunt, osoresq; Tonantis,

Non possunt ita non etiam rectissima quaeq;

Damnare haereseos, suspectaq; reddere uera.

Hos quoq; sutores huius reor Indicis esse,

Sicut & antè alios simili texere furore.

Quos si decreta cunctos extingueret hora

Cerberus, ut Templi dominos extinxit ad unum,

Consuleret melius longè fideiq; sibiq;.

Nam quis ferre uolet prudens uel ruris arator,

Cuncta ut per Monachos rursum prorsumq; feran-

Omnia & illorum tractetur uita fidesq; (tur?

Arbitrio? uexentq; pios per regna proteruè?

Quare Typographi, quum magni signa furoris

Indice protulerit: quum sic quoq; laedat amicos,

Fautoresq; suos, studijsq; atque artibus atrox

Indicat bellum, Monachorum ope fretus inertis:

Oppedent omnes, parebit nemo furenti,

Vestraq; uendetis maiore uolumina lucro.

Ipsè equidem miror, cur tanta in luce per omnes

Effusa gentes, perfrictam ostendere frontem

Audeat, atque uelit cordato illudere mundo?

Biblia condemnat studio curaq; sagaci

In uarijs excusa locis pulcherrimè. & ipsam

Ad ueri normam & prima exemplaria quaeq;

In quibus ipse nihil possit reprehendere Momus.

Tū noua Testamēta quoque (ut uocitare solemus)

Actaq;



Acta q̄; conuentus procerum Imperij edita, necnon  
 Germanæ gentis conscripta Gramina centum,  
 Atq; libros damnat sacros cum lege nefanda  
 Turcarum, nugis & Talmudicis Verparum,  
 Obscœnisq; iocis, quæ scripsit Poggius olim,  
 Ac Samosatensis Peregrini morte, alijsq;  
 Turpibus ac magicis emissis undiq; libris,  
 Et cum Seruetti labe ac Anabaptistarum.

Si cunctos homines asinos fungosq; putaret,  
 Normamq; indoctis uellet præscribere porcis,  
 Quid nam aliud faceret? Si coram ostendere mūdo  
 Christi ingens ueriq; odium, rerumq; suarum  
 Precipitem uellet citò procurare ruinam,  
 Quid Romana aliud nobis depromeret aula?

Sic ne putat, sese rictu latrante trifauci,  
 In rabiem acturum populos, Regesq; Ducesq;  
 Et doctos, magnus quorum prouentus ubiq; est,  
 Tot mitra insignes, Comitesq; uirosq; potentes,  
 Qui uarios coemere libros, ac bibliothecas  
 Instruxere bonas, thesaurum ad commoda secli  
 Post nos uenturi, ut cuncta illa uolumina perdant,  
 Iacturam sumptus faciant, multumq; probatos  
 Scriptores damnent, quos impressere notati?  
 Omnis planè homines stultos putat, atq; paratos  
 Ut confestim se ad fanda atq; infanda sequantur:  
 Quum dolcant ipsum tanta innotescere mundo  
 Fautores rabie, ac Monachis commissa nefandis

b

3

Omnia,



Omnia, confirment modò defendantq; Papatum.

Quanam inimici re possent consurgere plures?

Quo pacto ueteres magis absterreret amicos?

Perge ita, & extremos conatus Cerbere profer:

In cunctorum hominũq; odium te conijce, ne quid

Abs te concilijsq; tuis sperare modestum

Aut sanum possint. Posses ferre, omnia scribi,

Publicitusq; edi, praua, obscœna, impia, falsa:

Tu modò pace tua solita quæstuq; fruaris,

Et tua non ulli scriptores ulcera tangant.

Es tener ac sanctus nempe, haud tangendus ab ullo,

Millia multa licet ducas ad Tartara tecum.

Omnibus ista patent. Quid tu prætendis inepte,

Catholicæ zelum fidei, rerumq; piarum?

Zelus auariciæ est, luxusq;, ac iuris iniqui.

Quod magis usq; probis declaras hisce libellis:

Quales ô plures edas utinam, adq; propinquum

Temet promoueas casum, ac noscaris ab omni.

Poggius haud quicquã tibi, nec Boccatus unquã

Displicuit, ioca nec tibi displicuere Bebelij,

Nec tradenda tui flammis commenta Casani,

Hactenus: at monitus nunc, illos teq; tuosq;

Risisse interdum, tua nec decreta probasse

Omnia, nec ritus adeò, nec facta dolosq;,

Nec maiestati satis, aut seruisse decoro,

Illorum damnas libros, prohibesq; teneri.

Non adeò stupidi sumus, ut tu Cerbere reris:

Sentimus,



Sentimus, tua te solum, ac curare tuorum:  
 Quid Christo fiat, populisq; haud pendere flocci.  
 Nunc te Concilium moliri audimus. Eo sed  
 Quid tibi opus? Frustra reges gentesq; fatigas,  
 Immensoq; cupis patres concurrere sumptu,  
 Atq; annis uerum falsumq; inquirere multis:  
 Quum possis parua cunctis praescribere bulla,  
 Quid tolerare uelis scribi uulgò atq; doceri,  
 Rebus & expediat scelere, astu, uiq; paratis:  
 Siq; ageris reus errorum uitaeq; profanae,  
 Ora accusantum solo quum claudere nutu  
 Possis, ac cunctas ferro praecidere lites:  
 Parebunt reges cupidè, populiq; sequentur  
 Scilicet. Hoc sperare audes insane, tuum quum  
 Nomen et imperium spernant populusq; patresq;  
 Atq; tui nolint tantum perferre furorem,  
 Ac rabidis bullis sese praebere ministros,  
 Ut si mandasses charos iugulare parentes?  
 At uos Imperij proceres, qui sana secuti  
 Dogmata, diligitis Christum, uitamq; popelli  
 Atq; ministrorum ad summi praescripta magistri  
 Formatis, nondum scitis quid Cerberus astu  
 Concilij paret? An nondum praecleara Tridenti  
 Acta patent, canonesq; noui ad firmanda Papatus  
 Dogmata confecti? Sua concilio ille coacto  
 Quæret, non Christi. Nullos damnabit abusus,  
 Nec falsæ tollet doctrinae monstra, nec ullos

b

4

Corriget



Corriget insanos ritus, fideiq; nocentes:  
 Nec uitam ipse suam, quæstum, luxumq; superbum  
 Vnquam emendabit, nec facta scelesta suorum:  
 Sed stabilire magis patrum uolet omnia uoce.  
 Libera nec cuiquam concedet uerba profari:  
 Sed dictata sui urgebit decreta Senatus.  
 Tale ad Concilium legatos mittere uultis?  
 Mittite. Mittetis frustra. Nemo audiet æqua  
 Scripturisq; probata sacris & iusta petentes.  
 Iam præiudicio condemnati estis aperto:  
 Doctrinæ damnata etiam est Confessio uestræ:  
 Quin & doctores uestri, uerbiq; ministri,  
 Cum sacris libris, sunt diro anathemate cæsi.  
 Nunc ad Concilium uos ille accedere tantum  
 Causam uellet ob hanc, ut quos damnauit apud se,  
 Publica damnaret quoq; per suffragia Patrum.  
 Vsibus ergo alijs tam magnos parcite sumptus,  
 Atq; Deo uestram soli committite causam.  
 Hostis ne arbitrio uos permittetis acerbi?

F I N I S.



SVDARNOCVS SVREN-  
legus.

**I** Neptus olim & conscius pictor sibi,  
 Galli figuram uenditurus alitis,  
 Puerum iubebat, fortè gallinaceus  
 Ne uiuus ullus ales eò procederet,  
 Cauere. Idem hodie nonne facit ter maximus  
 Pictor? licere qui sibi putat omnia,  
 Quaecunq; pingit, atq; comminiscitur:  
 Quaecunq; fingit, atq; mentitur: iubet  
 Illis haberi simpliciter ab omnibus  
 Fidem. & quia nuper improbari coeperant  
 Commenta, quæ obtrudit miseris mortalibus:  
 Nunc ueritatem è finibus iussit suis  
 Faceffere, exulare, cum omnibus bonis  
 Sanctisq; libris: in quibus ueri alites,  
 Ad ætherem alis euolantes limpidum,  
 Testantur alta uoce cœlestem Dei  
 Instare lucem, filium per unicum:  
 Ad hanc, relictis & tenebris, se præparent,  
 Surgantq; mortales, monent grauisimè.

b 9 LEO



LEO, AQUILA ET DELPHINVS, PO-  
*tentissimi animalium Reges, Papæ Romano*  
*exitium, ut precantur, ita de-*  
*nunciant.*

CONRADVS GESNERVS Animalium  
 omne genus, nomina naturasque, libris  
 suis (quos ueluti hymnos optimi maxi-  
 mi rerû Opificis, in suis tam uarijs & pul-  
 cherrimis operibus laudandis, posterita-  
 ti relinquere cupiebat) quantumcunq;  
 ingenio, doctrina & studio consequi po-  
 tuit, illustrauit. Quo nomine nos etiam  
 ei non nihil debere fatemur. Hos libros  
 cum te, Pompifex & Aposcope Romane,  
 temerè, nullaq; ratione, sicut & alios in-  
 numeros doctorû hominum partus, dam-  
 nasse, fama ad nos, Psittacis (qui hæc Ro-  
 mæ primùm audierant) referentibus, di-  
 manasset: illico ut & honori nostro con-  
 suleremus, & tuam in Gesnerû in primis,  
 (utpote clientem nostrum, qui historias  
 & res gestas nostras omnes, multis iam  
 annis summa fide & diligentia in literas  
 refert:) deinde etiã alios quàm plurimos,  
 de omnibus sacris profanisq; literis be-  
 ne meritos scriptores, impietatē ulcisce-  
 remur;



remur: omnia & singula regnorum nostrorum animalia, uolucra, terrestria & aquatilia actutū (missis à Leone Dromadibus Camelis & Tigridibus, ab Aquila Ocypteris, à Delphino Dromonib.) conuocauimus. In his comitijs consultatū: & mox, nullo contradicente (præter noctuas, striges, ululas, uespertiones, hyænas, lupos nocturnos, talpas, hameroceatas, cecilias, araneos mures, & alia pauca nocturna inauspicataq; animalia) decretum atque sancitum est, id quod nunc audies, & breuī experiēris.

Quandoquidem communis hic noster, & omnium bonorum, & Conditoris etiam nostri inimicus ac hostis, in omnē Mundum imperium sibi falsò usurpat: neque enim in terram tantū, sed inferos quoque & superos, fines suos extendit: uolumus, milites nostros Antipapas per omnes Mundi partes distribui. Apud inferos igitur, (quò citissimè abiturum ipsum speramus, & supplicaturum Plutoni) Cerberus triceps, similiter ut ipse trimirus est, cum Furijs infernalibus & uulture Tityi, aduētum eius auidè expectato. neque enim maiore illic opus erit  
mili-



militum numero, à nobis mitendo: cum  
 dæmonū legiones suppetias Cerbero la-  
 turæ sint, si res postulet, innumeræ. In  
 terra, Canum, Luporum, Tigridum, Pan-  
 therarum, Ursorum, Aprorum, singulæ le-  
 giones cohortibus distributæ, partim a-  
 perto Marte, partim succenturiatæ insi-  
 dijs, in procinctu sunt. In mari, Lamia-  
 rum, Tursionum, Canicularum, Vitulo-  
 rum, Physeterum, singulæ myriades cir-  
 cumnanto, & suis cuiq; centuriæ Triton  
 buccinator adesto. In aere, centuriata  
 Coruorū agmina triginta millia, Vultu-  
 rum uerò octoginta millia, & duplicatus  
 Nisorū numerus uolanto. Neq; in aere  
 tantū hæ alites (si fortè à nocturnis, quæ  
 hosti fauēt, auib. illuc eueheretur) ipsum  
 inuadūto: sed etiam terra mariq; Quadru-  
 pedum ac Piscium exercitum, modis om-  
 nibus iuuanto, & cōmunem hostem lo-  
 cis ac temporibus omnibus infestanto.  
 Leo, summus totius exercitus imperator  
 esto: ac, si opus fuerit (ingens enim Pom-  
 pificem exercitus, aut potius turba seque-  
 tur) copias p arbitrio augeto. Custodes e-  
 tiā nocturnos, Anseres præsertim feros, &  
 Grues, quotquot uoluerit, adlegito. Sic  
 omnes



omnes Mūdi partes aduersus ipsum munierimus. nam in cœlum quidem, ipsum minimè peruenturum, non magis quàm Luciferū semel deiectum, cuius in ipsum anima migravit, certò scimus: cū ne nunc quidem de terra Solis aspectum ferre possit. Itaq; non euadet, quin aut uiuus aut mortuus (quanquam & nunc semimortuū & cadauerosum hominē esse aiunt) nobis, aut inferis, animo & corpore pœnas det.

Hoc te per fœcialem hanc epistolam scire uoluimus. Male ualeas,  
& pereas: Amen.

Κ Α Τ Α Ρ Α .

ὅς ποτε Γαὺ ὁ μέγας διὰ Χριστὸν ἀπώλετο μέγῳ,  
ὅς κ' Ἀντίχριστος νυῦ ἀπόλοιτο μόρῳ.

CATA-



CATALOGVS LIBRORVM, AV-  
reum Babylonis calicem referentiũ, peruersamq; doctrinam ac speciosa mundi uenena aureo ac diuino tecta sermone continentiũ: à quibus tanquã à pharisæorum fermento, Christianis cauendum est.

**Q**ui flores legitis sacratiores,  
Et decerpitis hinc apes Matinæ  
Mella dulcia, quæritisq; semper  
Quod sanctum studium queat iuuare  
Vestrum: Tartareos lupos caute,  
Serpentes, Furiasq; Cerberosq;  
Humana specie foris nitentes,  
Intus spurcitijs, dolis, rapinis  
Plenos. Sunt uarijs referta libris  
Pellicis Babylonie uenena:  
Quæ ne decipiant pios, caute.  
Incautæ coluber manum puellæ,  
Dum flores legit, inuidus momordit.  
Decretum fugite, & librum inde dictum:  
Inuisum miseræ ruina Romæ  
Sit Sextum, Extrauagantes, atq; Glossæ:  
Clementina, simulq; Gratianus,  
Quo ingratum nihil est magis in orbe.  
Vos ne decipiant nimis Sophiæ,  
Vano nomine Scoticæ tenebræ,  
Studendum est, fugiatur ille Aquinas,  
Qui nil præter aquam dabit bibendam:

Arnol-



Arnoldusq; simul bonus magister,  
 Pingui munere dignus, atq; thure:  
 Sed foedis quoq; dignior cloacis.  
 In mare & breuia hinc procul faceffant,  
 Quotquot sunt Breuiaria, atq; inanes  
 Manium tumultis preces dicatae.  
 Horas uirginis (ut uocant) Mariae,  
 Suspectas habeant pij & fideles.  
 Missale, & Graduale, sunt timenda  
 Sono nomina: res magis timenda.  
 Quicquid Gregorius, Leo, Calixtus,  
 Syluester, reliqui & Papae superbi,  
 Cum pingui & rubea sua cohorte  
 Decreuere, Dei repugnat almis  
 Praeceptis. Superis magis parendum:  
 Bernardus, Benedictus, atq; inepti  
 Ignauum Monachi pecus, uoraxq;  
 Hinc cum barbarie sua, impiaq;  
 Doctrina procul ad cruces recedant.  
 Sorbonae tumidos caue magistros,  
 Quis non sorbitio placet cicuta,  
 Qua simus perijt magister olim:  
 Sed uini ueterisq; Massiciq;  
 Ingentes phialae, cadiq; pleni.  
 Subtiles fugias Louanienses,  
 Te & Bononia qui suis fatigant  
 Nugis, inscitia, sophismatumq;

Inuisis



Inuisis laqueis. Referre cunctos,  
 Sed nimis foret arduum atq; magnum,  
 Romanae meretricis hic ministros.  
 Quid multis opus est? Lupos rapaces,  
 Dicuntur uario colore Fratres,  
 Quos uulgus Monachos solet uocare,  
 Hos albo, ueneto superbientes  
 Illos, mox alios nigro cucullo,  
 Tu, cui sana placet Dei potentis  
 Doctrina, ô cane peius, angue peius  
 Exosus fugias. Genus malignum  
 Ex imis Erebi uolauit ad nos  
 Quondam faucibus: & sui parentis  
 Augere imperium, potentiamq;  
 Multorum interitu studet piorum.  
 Et gregis Pharisæici uenena,  
 Fermentumq; uctus caute cauti,  
 Qui flores legitis sacratiores.

IN CATALOGVM AVTORVM, ET  
 librorum, quos Paulus IIII Papa pro hæreticis  
 & damnatis passim proscribi uo-  
 luit, αὐτοσχιδίασμα.

**O** Economũ laudat Christus, cui Ecclesia curæ  
 Quiq; laboranti fercula lauta parat. (est,  
 Fercula lauta, Dei patribus quæ Spiritus olim  
 Protulit, atq; pijs ritè secare iubet.

Quid



**Q**uid **P**apa? quæ nobis **S**cripturæ fercula monstrât,  
**R**eijcit (proh scelus) & dira uenena uocat.  
**I**nsuper obtrudit letalia pharmaca nobis:  
**P**harmaca ab immundis hei male mixta cocis:  
**F**icta superstitio, & quos **P**urgatorius ignis  
**N**utrit, & infaustos tetra **C**uculla tegit.  
**A**t uos qui sapitis, propriæ queis cura salutis,  
**L**inquite crudeles, tartareasq; dapes.  
**L**inquite funestas mensas, & quicquid ubiq;  
**P**ontificis seui dira culina struit.  
**I**mpia auarorum ualeant decreta **P**aparum,  
**B**ullarum ualeat nomen inane procul.  
**M**issale et **G**raduale, **S**cotum, **B**reuiaria, **T**homas,  
**A**rnoldum, foricis nomina digna, fuge.  
**E**t quicquid **M**onachi, monstra in scelicia, scribunt,  
**S**acrificum quicquid parturit uncta cohors.  
**Q**uæq; **T**heatini uanissima somnia fingunt,  
**E**x imis **E**rebi somnia nata locis.  
**D**eniq; **P**ontificis quicquid redolere popinam  
**V**ideris, huic mortis tela subesse puta.  
**A**siduis sacros studijs euoluito libros,  
**Q**ui soli uitæ dogmata uera sonant.  
**H**I **C**H**R**I**S**T**I** mensam sternunt, **C**hristum q; salutis  
**A**uthorem, columen præsidiumq; docent.  
**I**lle cibus miseris, potusq; salutifer unus,  
**V**nus & æternæ dona salutis habet.  
**I**lius ergo libros quotquot my st eria tradunt,



Pontifices damnant, & perijſſe uolunt:  
 Mundus ut infœlix non poſſit dira cauere  
 Toxica, quæ ipſorum compoſuere coci.

R. G.

IN CATALOGVM PAULI QVARTI  
 Pont. Romani, quo orthodoxæ religionis  
 authores omnes proſcribit.

**C**reta Ioui ſacros quondã reddebat honores,  
 Orbe etenim toto numinis inſtar erat.  
 At iam Roma ſibi totius uendicat orbis  
 Numen, & in manes arrogat imperium.  
 Papa cui nomen, gemmis ueſtitus & auro,  
 Turritum annectit cui diadema caput:  
 Hexaphoro uehitur tanquã Deus: et (dolor) ipſos  
 Vult pedibus Reges oſcula ferre ſuis.  
 Proſcribit toto ſacrata uolumina mundo,  
 Euomit impura fauce anathema ſuum.  
 At tua noſſe cupis quid ſint anathemata nobis?  
 Non ſecus ac puluis, quem leuis aura rapit.  
 Num iuuat inſanas cacodæmonis, oro, querelas  
 Audire, & ſummi ſpernere iuſſa Dei?  
 Vos ergo procul hinc concedite turba malorum,  
 O' uos ſacrificũm pernicioſa cohors:  
 O' monachi, quorum uenter Deus atq; ſaburra eſt:  
 Tuq; Theatinus, gens maleſana, chorus:  
 Et quos Muſa uetat deſcribere, Franciſcani,

Ag



Ac quotquot sua dant nomina Pontifici.  
 Impia falsorum concedat turba deorum,  
 Totus ut à Christo flagitet orbis opem.  
 Quisquis aues Christi suaues haurire liquores,  
 Haud tua Pontificum subijce colla iugo.

B. M.

SUPPLICATIO COLLEGII SACRO  
 rum Scortorum Romanorum ad summū Pōn-  
 tificem, pro Cardinali Carapha exule.

O' Romane Deus, nostri gregis optime custos,  
 Quemq; pedo solum protegis usq; tuo:  
 Si tibi quid, domuiue tuæ, domuiue tuorum  
 Dulce fuit nostrum, queso repende uicem.  
 Sis ouium dulcis precibus, mitisq; tuarum  
 Pastoris placidi nomen habere uelis.  
 Casta placent diuis: castarum uirginum & ista,  
 O' Romane Deus, uota precesq; puta.  
 Nam à te sacratis solis consuescimus, ecquid  
 Sacrati possint contemerare uiri?  
 Nūc quoq; quæ uolumus tibi uerba precātia cūcta  
 Dicere, pro sacro sunt ea uerba uiro.  
 Quin etiam ingratae quò uitet crimina mentis,  
 Iste tibi noster supplicat ecce chorus.  
 Nam tuus ille nepos, nuper tua sola uoluptas,  
 Pro nobis supplex sæpe Carapha fuit.  
 Et quasdam eripuit pœnæ, tibi quando probauit  
 Non Romæ esse scelus, quod scelus est alibi.

6 2

Is quòd



Is quòd amatus erat, quòd erat tibi honorib. auctus.  
 Nostra itidem est uisus dignus amicitia.  
 Intimus ille fuit nobis, cuiq; intima nostra  
 Credere non ueritæ nocte dieq; sumus.  
 Sed te, sancte pater (si fas est uera fateri)  
 Expertus minus est nos in amore leues.  
 Nanq; fauemus ei, semperq; manemus amici.  
 At tu inimicus ei es, nuper amicus eras.  
 Nuper amicus eras, oculisq; sinuq; Carapha  
 Ferri te dignus iudice solus erat.  
 Ac sua ei uirtus hunc conciliarat amorem,  
 Ut tua facta quidem (parce negare) probant.  
 Namq; humeris eius te Roma imponere pondus  
 Sedis Apostolicæ uidit, & obstupuit.  
 Dum tantum gestaret onus, dormire solebas,  
 Ac in utranq; aurem stertere, Sancte pater.  
 Teq; ut Atlanta graui nimium sub mole gementē.  
 Alter ut Alcides commiseratus erat.  
 Nunc illum tu Sancte pater miserare uicissim,  
 Si quid eum tandem commeruisse putas.  
 Commeruisse tamen quid nam queat ille Carapha,  
 Noster amor, nostri deliciaeq; chori?  
 Forsan apud te illum nunc dente momorderit atro  
 Inuidus, ac fueris credulus ipse nimis.  
 Finge tamen uerè esse reum: ueniám ne negabis  
 Illi, qui ignotis hanc dare sæpe soles?  
 Cum tot bullarum semper sint millia præsto,

Quæ



Que uenias toto uendere in orbe solent?  
 Ut consanguineo ueniam, uel des ut amico:  
 Aut ut utriq; simul, si sit uterq; simul.  
 Si nec amicitiae, nec nomine sanguinis illam  
 Vis dare, da seruis supplicibusq; tuis.  
 Neu minus utiliter tibi noster supplicet ordo,  
 Quam pro illo supplex saepe Carapha fuit.  
 Nam meritis nostris (sed ne exprobrare putato)  
 A te debetur gratia, sancte pater.  
 Artis & officia ut taceamus plurima nostrae,  
 (Quorum equum est mancas tempus in omne me  
 Quanta sit erga te nostri reuerentia coetus, (mor:))  
 Turbaq; quam simus relligiosa, uides:  
 Vlla tuos melius nec seruet foemina ritus,  
 Quam nostro si qua est consociata gregi.  
 Decretisq; tuis hostes quicunq; feruntur,  
 Hostili erga illos nos quoq; mente sumus.  
 Romanam nobis nam copula iungit amoris  
 Aulam, qua non est copula firma magis.  
 Nec nisi communis queat esse utrisq; ruina:  
 Sic sequitur iunctus iuncta pericla metus.  
 Ergo age sancte pater, nobis reuocato Carapham,  
 Et finito nostras pondus habere preces.  
 Sic tibi crescat honos, qui nunc decrescit in horas,  
 Proq; illo princeps quilibet arma gerat.  
 Sic sint in precio, preciumq; tibiq; tuisq;  
 Decreta illa ferant quae iacere diu.



Sic quæ unum fregit Papæ Germania cornu,  
 Sponte tuo quondam det fera colla iugo.  
 Sic possis contra mortem pugnare: nec unquam  
 Te Deus in cœlum Petre uocare uelit.  
 Cur aures precibus uultumq; precantibus (cheu)  
 Auertis: nostras negligis & lachrymas?  
 Offendunt si fortè tui te dicta Caraphæ,  
 Si quod te offendat fortè Carapha facit:  
 Cur oculos ad facta eius non claudis, ut antè:  
 Non ad dicta aures claudis, ut antè, tuas?  
 Ipse tuæ meminisse uelis delicta iuuentæ,  
 Quum nondum factus Iesuitanus eras.  
 Nunc eadem quæ olim cuperes fortasse: sed ætas  
 Denegat. hæc alijs cur tamen inuideas?  
 Quid tibi uis? abigis miserum qua fronte nepotem?  
 Aut prius, aut certè non abigendus erat.  
 Namq; sibi est similis, non est mutatus ab illo  
 Qui septem aut octo mensibus antè fuit.  
 Si non mutatus, cur tu mutatus in illum?  
 Non sunt constantis talia facta uiri.  
 Sancte pater, uenerãde senex, tua proh bona nescis,  
 Personæ & iam sis immemor ipse tuæ.  
 Papatum infamas, dum uis ornare, reiectis  
 Tot uitijs, uulgus quæ latuère prius.  
 Cur Camarinam uis magno mouisse periclo?  
 Romana utilius tecta Mephitis erit.  
 Quid quòd iam Romana ecclesia scinditur à te,

Qui



Qui illam scindentes plectere debueras?  
 Illius nos membra sumus, sunt membra sacrati  
 (E' quorum numero est ipse Carapha) uiri.  
 Sic nos iunctæ illis, corpus censemur ut unum:  
 Cuius tu meritò crederis esse caput.  
 Hoc mutilas corpus, membrū quādo abstrahis unū,  
 Quo non spectaclum tristius esse potest.  
 Si sapis ô bone uir, nostrum citò redde Carapham,  
 Et corpus mutilum ne patiare diu.  
 Aut caue tale aliquid, post quod nil Claudius edit,  
 Is qui Romanum rexerat imperium.  
 Ni caueas: mutilum corpus nunc absq; Carapha,  
 Et sine te truncum possit id esse breui.

FINIS.







155573

AB 155573

ULB Halle  
001 958 747 3




sb









3

# N CATALO

gum Hæretico-  
rum nuper Romæ  
editum,

THOMAE NAOGEO-  
gi Satyra.

*Adiectis etiam alijs, eiusdem ar-  
gumenti.*

ANNO 1559.

